Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184116-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184116-p0002-4

*DISSERTATIO IVRIDICA*

DE EO

QVOD IVSTVM EST

CIRCA

# POENAM FVRTI

*INPRIMIS*

## IVRE SAXONICO

OCCASIONE

MANDATI - REGII

Wegen

Geſchwinder Exequirung derer Räuber und Diebe

De Dato Dreßden, am 27. Iulii, Anno 1719.

QVAM

*SVB PRAESIDIO*

IOHANNIS GODOF. KRAVSI D.

IVR. SAX. P. P. ORD. SCABINATVS ET FACVLT. IVRID. VITEBERGENSIS, IVDICII ITEM PROVINCIALIS INFERIORIS LVSATIAE ASSESSORIS SVBSTITVTI

IN ALMA LEVCOREA

*DIE II. MAII cIↄ Iↄ CC XXIV.*

PLACIDO ERVDITORVM IVDICIO

SVBMISIT

*AVCTOR ET RESPONDENS*

IOANNES CHRISTIANVS FRIDERICI

KEMBERG. SAX.

*EDITIO SECVNDA.*

*WITTEBERGAE*, LITERIS VIDVAE GERDESIAE, 1735. [7]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184116-p0003-0

DE EO,

# QUOD IUSTUM EST

*CIRCA POENAM FVRTI*

INPRIMIS

## IURE SAXONICO

OCCASIONE

## MANDATI REGII

**Wegen geſchwinder Exequirung derer Räuber und Diebe**

De Dato Dreſiden am 27. Julii 1719.

§. I.

Furtum, licet tetrum ſit atque nefandum delictum, et tanto minus fauoris mereatur, quanto facilius fures ab ereptione rerum, quas alienas eſſe ſciunt, ſe continere poſſunt, nec tam uehementi affectuum impetu ad illud, quam quidem ad alia delictorum genera, commoueri ſolent, nihilo tamen ſecius apud Aegyptios, Lacedaemonios, ueteresque Gallos atque Germanos licitum illud fuiſſe, teſtantur

*Furtum penes uarias gentes licitum fuiſſe traditur.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184116-p0005-1

tur GELL. *II. Noct. Attic. 18.* DIODOR. SICVL. *Bibl. L. I. P. II. 73.* TACITVS *de moribus Germ.* GRAVINA *de Orig. Iur. L. II. c. 48. p. m. 344.* IVL. CAESAR *de Bello Gall. L. 6. c. 16. §. 5.* ANTON FABER *III. Coniect. 5.* BONIFAC. *de furt. §. 12. n. 7.* THOLOSANVS *in Syntagm. Iur. Vniuerſ. L. 37. c. 1. n. 2. 3. 4.* Atque adeo, hoc uitii genus acuendorum ingeniorum cauſa permiſſum fuiſſe, iidem docent *Auctores*, ita ut, qui dextro Mercurio furari ſciuerit, magnus, qui uero neſcierit, ſtipes eſſe ac truncus exiſtimatus, quique mercatoribus aduenis, ut degener, quocunque terrarum aſportandus, atque adeo luce communi uix, ac ne uix quidem, dignus iudicatus fuerit. Teſtis praeterea eiusdem eſt rei REYHERVS *in Annot. ad* SCHARROCKIVM *de Offic. ſec. ius naturae p. 164.* qui, teſtimonio BVSBEQVII *Epiſt. 3.* inductus, *Colchide honori furtum duci*, narrat, atque e FRANC. ALVAREZ, Luſitani, Itinerario Africae ſcribit: *Abyſſinis id moris eſſe, ut fures alteram rei furtiuae partem Regi offerant, alteram uero, ſine infamiae nota, ſibi retineant.* Hinc eſt, quod poſt Theodorum Ariſtippi diſcipulum & Diogenem Cynicum, referente LAERTIO *Lib. I. in Ariſtippo*, ALCIATVS *in L. 42. ff. de V. S. n. 3. 4. 5.* furtum, more ciuitatis ſaltem, turpe eſſe contendit. Atenim uero quemadmodum furta in ipſo Decalgo prohibita ſunt, ita, ea regulis Iurisprudentiae naturalis admodum repugnare, ſtatuendum eſt. Namque, monente CICERONE *L. 3. Offic.* illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, & opes augeamus, quocum coincidit *L. 1. §. fin. ff. de furt. L. 42. ff. de V. S. arg. l. 206. ff. de R. I. et c. 48. de R. I. in 6to* confer. GROTIVS *de Iure B. et. P. Lib. 1. c. 1. §. 10. n. 4.* Praeterea naturali omnium gentium praecepto docemur, ne laedamus aliquem, ſed ſuum cuique tribuamus. *§. 3. I. de I. et I. L. 10. §. 1. ff. eod.* Et quid? quan-

*Deſtruitur illa conſuetudo.*

Quanquam recenſita exempla, dictas gentes furtorum flagitiis tantopere indulſiſſe, teſtantur, attamen, cum aliorum populorum conſuetudines contrariae occurrant, uti de Scythis non tantum commemorat IVSTINVS *ex Trogo L. II. C.* 2. uidelicet, *quod furto grauius nullum ſcelus duxerint*, ſed etiam aliis hoc exemplis illuſtrat THVCYDIDES *L. 1. Hiſtor.* ſane, quod miremur adeo, non eſt, ſi et furta penes alias gentes inter delictorum ſpecies relata, grauisſimisque poenis coercita fuiſſe, doceamur. Nec etiam facile iuris Naturalis principia ex unius alteriusue gentis moribus peruerſis aeſtimanda, ſed potius ex ratione naturali metienda ſunt. Non enim, minus eſſe legem naturae, ſtatuendum, ſi eam multi transgrediantur, ut ait XENOPHON 4. *de dict. Socratis contra Perſarum inceſtos concubitus.* Huius enim belluinae feritatis gentes fuiſſe traditur, quae parentes, ſenio confectos, deuorare non dubitarunt, uti de Maſſagetis, et de Derbicibus literarum monumentis proditum eſt. Atque Lex Sardoa fuiſſe dicitur AELIANO *L. 4. c. 1.* ut filii parentes, decrepita aetate ſenioque confectos, fuſtibus caederent, et interemtos ſepelirent, abſurdum eſſe arbitrantes, ſi delirus ſenex ulterius in uiuis agat, eo quod ſaepiſſime in fraudem peccatumque impellatur corpus, ſenectute grandaeua maceratum. Tantum uero abeſt, ut ideo ſtatim, illud iuri Naturae non repugnare, aſſeramus, ut potius, cum, iuxta huius iuris principia, parentes liberis ſancti ſint, iuris Naturae legibus illud aduerſari firmiter ſtatuamus. Atque adeo etiam, quod notamus, Lacones non omnia, ſed ingenioſa tantum furta, eademque non omnium, ſed uilium tantummodo rerum, inprimis autem eduliorum, et quidem non in omnibus ſine diſcrimine, ſed in adoleſcentibus tantummodo, nec etiam abſolute per ſe, et pro-

*Quas ob cauſas furtis indulſerint Lacedaemonii, docetur.*

pter turpia lucra, ſed uel hanc ob cauſam probarunt, ut nimirum calliditate illa furandi ingenia adoloſcentium acuerentur, et ad aſtutiam ac ſolertiam, aliis in rebus deinceps adhibendam, adſuefierent, uel etiam, ut incuria dominorum, res ſuas negligentius aſſeruantium, coërceretur, teſte Plvtarcho *in Lacon. Inſt. et* Gell. *II. Noct. c. 18.* Deprehenſos autem et turpitudo, et multorum uerberum mulcta certo manebat, Xenophon *de Republ. Lacedaem.* Eadem fere ratione furtum Aegyptios admiſiſſe prodidit Diodor. Sic. *L. 2. Bibliothec. c. 3.* quod referunt Petr. Gregor. *37. Syntagm. Iur. 1. n. 4.* Heigivs *ad* §. *1. I. de Obligat. quae ex quaſi delict. n. 10.*

§. II.

*Iure Romano poenae fuerunt uariae pro diuerſitate furtorum.*

Iure Romanorum, poena erat uel ciuilis, uel criminalis ſtatuta, *uid. l. fin. ff. de furt.* Illam quod attinet, inquirebatur, utrum furtum *manifeſtum*, uel *non manifeſtum* eſſet; ſi prius, reſtituebatur duplum, furtum paſſo aſſignandum: ſin poſterius, poena quadrupli locum habuiſſe dicitur, §. *5. I. de Obl. quae ex quaſi delict. et* §. *18. I. de Act.* Quam ob cauſam uero furto manifeſto durior poena, quam quidem non manifeſto, ſtatuta ſit, ratio in promtu eſſe uidetur. Ea enim, quae per ſe turpia ſunt, maiori turpitudine, ſi fiunt aperte, committuntur, propterea quod ſcandalum exinde aliis ſubnaſcitur, *C. 32. Q. 4. Cap. 4. X. de tempor. ordin.* atque uel hanc ob cauſam etiam meretrix, quaeſtum palam faciens, maiori poena afficitur, quam quae cum aliis clam ſe commiſcet, uid. Carpz. *Qu. 75. num. 11.* Quamuis autem actio furti manifeſti, et non manifeſti parum frequentari ſoleat, uel ob reorum inopiam, uel quod plerique actores deterreantur faſtidio, ut actionem furti eundem ad modum minus moueant, attamen pro abrogata haberi non debet, uti Schiltervs

*Exerc-*

*Exerc. XLIX.* §. 5. docet, idque praeiudicio Facultatis Iuridicae Vitebergenſis confirmat DN. DE BERGER *in Oecon. Iur. L. III. Tit. 9. th. 6. Not. 6.*

§. III.

In criminali poena infligenda Doctorum ſententiae inter ſeſe admodum diſcrepant, quod docent BERLICH. *P. 5. Concl. 43. n. 4. ſeqq.* STRVVIVS *Diſſert. Crim. II. th. 1.* §. 11. Iuris Attici conditor, Draco, furem, quicquid etiam abſtulerat, ſupplicio capitis puniendum eſſe ſanxit, huius in locum, SOLON, Emendator illius Iuris, dupli poenam ſubſtituit, SCHILTER, *Exerc. XLIX.* §. 6. At enim uero iure Romano eam ſententiam, qua inter diuerſa iuris Romani tempora diſtinguitur, optimam eſſe iudicamus. Namque Romani ueteres furta diſtinguebant in *nocturna* et *diurna*, atque haec iterum in *manifeſta* potiſſimum, et *nec manifeſta*. Nocturna furta uti periculoſiſſima iudicabantur, ita de iis in *LL. XII. Tabb.* cauebatur: SI NOX FVRTVM FAXIT, SIM ALIQVIS OCCISIT, IVRE CAESVS ESTO, MACROB. *Saturn. l. 4.* Qua in lege *Nox* ſumebatur pro *Noctu*, quod obſeruant GELL. *VIII. 1.* TAVBM. *ad Plaut. p. 1000.* SIM idem erat, ac *ſi im*, id eſt, *ſi eum*, uti hoc iterum probat MACROB. *c. l.* atque hac ratione ſenſus eruitur planiſſimus: *Siquis furem nocturnum occiderit, eum iure occidiſſe uideri.* Quae cum ita ſe habeant, concludere fas eſt, licuiſſe ex *LL. XII. Tabb.* quocunque modo furem nocturnum occidere, nec opus fuiſſe, ut cum telo deprehenderetur, aut eum occiſurus clamorem tolleret. Hoc enim in diurno furto tantummodo deſideratum fuiſſe liquet ex CICERONE *pro Milon. III.* SENECA *Controu. X. 6. p. 427.* VLPIAN. apud *Auct. Collat. Leg. Moſ. et Rom. VII. 3. p. 759.* Licet uero ipſi iuri diuino *Exod. XXII. 2. et 3.* per omnia haecce lex congruére uideatur,

*Criminalis poena quando dictata ſit, oſtenditur.*

tur, ſenſim tamen, cum durior quodammodo uideretur, ab uſu eius recedebatur, ita, ut, quod dicit VLPIANVS *in l.c.VIII. 3.* ille, qui furem nocturnum occiderat, nonnunquam ex lege Aquilia, nonnunquam etiam ex lege Cornelia de Sicariis teneretur. Quin imo etiam poſtremo ex Conſtitutionibus inualuit, ut diſtingueretur inter furta, quae *ruri*, et quae *in ciuitatibus* fiebant. In iis, quae ruri committebantur, locum habebat diſpoſitio *LL. XII. Tabb.* et uel ideo furem nocturnum ibi quoquo modo occidere licebat, quemadmodum hoc colligi poteſt *ex L. 1. C. quando liceat unicuique ſine iudice ſe uind. In urbibus* uero, ubi facilius uicini clamore excitantur, id non licebat. Atque hanc ob cauſam eiusmodi caedem lex Aquilia uindicabat, Vid. CVIAC. *Obſ. XIV. 15.*

§. IV.

Quodſi, quid in *diurnis* furibus obſeruatum ſit, perpendimus, diſtinctum fuiſſe animaduertimus inter iſtos, qui *manifeſtum*, et qui *non manifeſtum* commiſerant. Quoad iſtos iterum diſtinctio notanda, uidelicet, utrum *ſine telo*, an *cum telo* deprehenſi eſſent. Si ſine telo prehenſus erat, attendebant DECEMVIRI, utrum *ingenuus*, an *ſeruus* tale furtum commiſerat. De *ingenuis* qui *ad pubertatem* peruenerant, monente GELL. *XI. ult.* hoc ſtatuebatur: SI LVCI FVRTVM FAXIT, SIM ALIQVIS ENDO IPSO CAPSIT, VERBERATOR, ILLIQVE, CVI FVRTVM FACTVM ESCIT, ADICITOR, nimirum uirgis caeſus eiusmodi fur noxae dabatur ei, cui res ſurreptae erant, illique ad ſeruilia addicebatur miniſteria. In ſeruos uero multo ſeuerius animaduertebant Decemuiri. Horum enim intuitu, docente GELL. *c. 1.* lex prodita erat in *LL. XII. Tabb.* huius tenoris: SERVVS VIRGIS CAESVS DE SAXO DEIICITOR. Atque hoc uel ideo factum eſſe credimus, quod ſerui

ſerui, genus mortalium furaciſſimum eſſe, exiſtimabantur, qui, freti ſcapularum uirtute, facillime omnes expilabant loculos, nullaque poena minus, quam quidem uerberibus, ab hoc delicto reuocari poterant; confer. Plavt. *Aſinar. II. 2. u. 55.* Quam ob rem extremum ſupplicium ſeruos ſemper manebat, nimirum *deiectio de rupe Tarpeia.* Fuſtigabantur autem, priusquam hocce ſupplicii genere afficiebantur, uid. Ivst. Rycqv. *de Capitol. IV. p. 44. ſeqq. impuberes* demum, furti reos, atque deprehenſos, praetoris arbitrio uerberandos, damnaque, ab iis facta, reſarcienda Decemuiri curabant, Gell. *XII. ult.*

§. V.

Quodſi uero cum telo fur deprehenſus erat, Decemuiri ita cauebant: Si se telo defensint, qviritatio, endoqve plorato, post deinde, si caesi escint sine fravde esto, Cic. *pro Mil. III.* Gothof. *ad L. XII. Tabb. Tab. II. p. 61.* Nimirum poterat eiusmodi fur, qui, armis inſtructus, deprehendebatur, impune occidi, hac tamen ſub lege, ut interemturus eum *quiritaret* prius, *endoque ploraret*, hoc eſt, ut ſolemnem repeteret formulam Qvirites Vostram fidem uel porro Qvirites, atque teſtificaretur, furem, hoc clamore edito, a ſe deprehenſum fuiſſe. Conf. de hac form. Brisson. *de Form.* VIII. *p. 718.* Raevard. *ad L. XII. Tabb.* III. De furto denique *nec manifeſto* hoc cauebatur in *LL. XII. Tabb:* Si adorat fvrto, qvod nec manifestvm escit, dvplione decidito, Gothofredvs *L. XII. Tabb. Tab.* II. Cuius legis ſenſus hic eſt: ſi accuſatur quis furti nec manifeſti, fur dupli damnas eſto, Gellivs *Noct. Att. XI. 18.* Haec uero omnia deinceps a Ivstiniano in *Nou. 135. c. ult.* eo usque reſtricta ſunt, ut ob

 fur-

furtum, ſine armis aut uiolentia commiſſum, nec mors inferretur, nec membrum quoddam uiolaretur.

§. VI.

*Quid in Germania?* Germaniam quod attinet noſtram, in legibus Longobardorum *Tit. 25. l. 2. 3. 8.* et Wiſigothorum, *Lib. 7. Tit. 2. l. 4. 5. 14.* una cum fuſtigatione nouecuplum dictitatur, quod ſi reſtitui non poterat, uel capitis damnabatur fur, uel, ſi liber eſſet, in ſeruitutem detrudebatur, dummodo furtum non eſſet modicum. *Quid iure Saxonico Communi?* Saxones, quibus nullum uitium furto detrius, magisque exoſum et grauius uidebatur, ſeuerius id uindicandum putarunt. Quapropter in LR. *Lib. II. Art. 13.* cum quo conſpirat IVS ALEMANNICVM, *cap. 115. n. 1.* niſi hoc excipias, quod loco trium Schillingorum quinque hic commemorentur, ſancitum legitur, Den Dieb ſoll man hencken, geſchicht aber in einem Dorffe des Tages eine Diebheit, die minder, denn drey Schilling, (i. e. weniger denn 4. Groſchen, uid. BERLICH. *Dec. 121. n. 4.*) werth iſt, die mag der Bauer-Meiſter wohl richten deſſelben Tages zu Haut und Haar, oder mit drey Schillingen zu löſen geben, es bleibet aber jener Ehrloß und Rechtloß. Quae uerba GLOSSA GERMANICA ita, et recte quidem, explicat, man ſchlage ihn zur Staupen, quamuis uoces ſequentes, zu Haar, ridicule ſequentem in modum interpretetur, man windet ihm die Haar mit einem Kluppen aus dem Haupte. Equidem hoc exinde defendere uidetur Gloſſa quia Saxones olim comam aluerint prolixam, fures uero, ut eo facilius dignoſcerentur, tonſi incedere coacti fuiſſent. Quemadmodum uero dictus textus LR. *L. 2. Art. 13.* quum mitigat ſuſpendii poenam, de furto diurno tantummodo loquitur, ita contraria ex parte, et cum nocturnum furtum grauius diurno cenſeatur, PAVLVS, *Lib. V. recept. ſentent. Tit. 19. et, 20.* GLOSSA LATINA ad textum

tum germ. LR. *l. 2. Art. 28. lit. c.* ſtatuit, furtum nocturnum, nulla quantitatis differentia obſeruata, ultimo ſupplicio coercendum eſſe, nocturnumque furem, ſine iudice etiam, occidendum. At enim uero optime monet Colervs *Dec. 144. n. 10. in fin.* ſe nunquam uidiſſe, ſecundum hanc Gloſſam pronunciatum fuiſſe, ideoque furem, non obſtante, quod de nocte furtum commiſerit, cum fuſtigatione relegandum eſſe dicit. In contrarium quod adducitur, id omne ſoluit laudatus Colervs, *d. l. n. 11. ſeqq.* Hodie in furto ſimplici non ita ſimpliciter ad poenas in allegato textu LR. *L. 2. Art. 13.* pronunciatur, ſed ad quantitatem tantummodo, inprimis quod Saxoniam attinet, reſpicitur, ut tali pacto ob furtum, infra tres Schillingos perpetratum, poena carceris ſolummodo dictetur, Theodorici *Iud. Crim. Cap. II. n. 54.* Interea id mirum uidetur, quod nihiloſecius in Conſtitutione Electoris Mauritii de Ann. 1550. Tit. was zu Ober, Nieder oder Erbgerichte gehöret, atque Electoris Auguſti de ann. 1555. was zu Ober, Nieder oder Erbgerichte gehöret, furta infra quatuor groſſos tantummodo uindicationi iurisdictionis baſſae relinquantur, reliqua uero iurisdictioni altae adſcribantur, cuius diſpoſitionis uſum adhuc hodie defendit Dn. de Berger *in Oecon. Iur L. IV. T. 3. th. 2. Not. 2.* huius tamen doctrinae reclamatur a Theodoric. *c. l.* cuius ſententia, ſi dicendum, quod res eſt, analogiae iuris magis conuenit.

## §. VII.

*Quid iure Carolino?*

Iuxta Conſtitutionem Carolinam *Art. 157.* circa furti poenam plures notandae ſunt diſtinctiones. Separantur enim ibidem *furta qualificata*, gefließene und gefährliche Diebſtähle a furtis ſimpliciter ita dictis, gemeine Diebſtähle. Atque iuxta dictae Conſtitutionis uerba *Art. 159.*

furtum qualificatum iſtud dicitur, quod *uel* adſcenſione, *uel* effractione, *uel* armis commiſſum eſt. Non autem illud tantum Imperator furtum qualificatum eſſe exiſtimabat, quod uiolentiam actu coniunctam haberet, ſed et hoc, quod uiolentiam, uel laeſionem, minari uideretur. Quae quamuis ita ſe habeant, uſu tamen fori, inprimis qua SAXONIAM ſpectamus, hae qualitates coniunctim requiruntur, nec ſola aſcenſio, ſolaue effractio in conclauibus, uel ciſtis, aperiendis ſufficit, ſi ultimi ſupplicii poena imponatur, ſed effractio uiolenta, eaque ſeditioſa, coadunatis nimirum hominibus, et manu armata, facta, ob grauitatem poenae deſideratur, DN. DE BERGER in *Oecon. Iur. L. III. Tit. IX. Th. 5. Not. II.* ubi tamen monetur, iure Magdeburgico ad irrogandam ſuſpendii poenam ſufficere adſcenſionem ſine uiolentia, dummodo ſumma, furto ſubtracta, ſit 20. Ioachimicorum. *Simplex* autem furtum id dicitur, in quo dictae circumſtantiae aggrauantes non concurrunt.

§. VIII.

*Quae poena furti qualificati?*

Poena, *in furtum qualificatum* ſtatuta, ſemper capitalis eſt, et, cum ſit genus furtorum improbiſſimum, non diſtinguitur, utrum paruum aut magnum, uel, utrum ab uno, aut a pluribus, commiſſum ſit, ORD. CRIM. *Art. 159. et 160.* ita tamen ea executioni mandatur, ut maſculus ſuſpendio, foemina uero, ob formam ueſtitus, et ut euitetur nuditas corporis, quam, monente TIRAQVELLO *in 4. ll. Connubial. gl. 1. P. 4. n. 22. p. 91.* ex hiſtoria a PLVTARCHO *in Lib. de clar. mulieribus cap. 2.* allata, foeminae quam maxime abhorrent, ſubmerſione in aquis e uiuis tollatur, *d. Art. 159.* quae quidem poena ob circumſtantias mitigantes, eaſque uel ratione perſonae, uel aetatis, uel loci, aut temporis, in extraordinariam, ex arbitrio iudi-

iudicis prudentis, conuerti poterit, ita tamen, ut corporali ne ſit mitior, *d. Art. 159.* Hoc autem in textu, quod notamus, tria poenarum genera exprimuntur. Primo enim *oculorum effoſſio* ea lege ſancita eſt, quod poenae genus quidem CLASSENIO *ad Art. 159.* ORD. CRIM. olim in Oriente frequens fuiſſe ſupplicium dicitur, damnatum autem a CONSTANTINO in *Leg. 17. C. de poenis*, iudicante, faciem, cum ſit ad ſimilitudinem pulchritudinis coeleſtis figurata, ita non eſſe commaculandam. CAROLVM uero, qui eandem poenam conſtituit, ut excuſent atque defendant, dicunt, in praeſenti articulo de delicto agi, quod poenam mortis mereatur, in homine autem facinoroſo parum faciei et uiſus rationem habendam eſſe. Quam ob rem etiam DN. DE BERGER *in Elect. Iurisprud. Crim. Cap. II. M. 1. §. 1.* hanc ponit regulam: *quoties delictum regulariter capitale eſt, toties poena commutari poteſt in exoculationem, quoties autem non eſt capitale, toties poena in exoculationem conuerti nequit.* Deinde mentio fit *amputationis manus:* quemadmodum enim CONSTANTINO placuit amputatio pedis in ſeruo fugitiuo, ut ne amplius fugiat: FRIDERICO amputatio manus in turbatore pacis, ut ne iterum turbet, 2. *Feud. 27.* ita Imperator CAROLVS manus amputationem ſanciendam exiſtimauit, ut ne tam facile fur iterum in furtum ſe demittat. Atque haec poena etiam approbata legitur in *art. 180.* ne quis amplius peieret, TABOR *in Racemat. p. 489.* Denique conſtituitur ſimilis poena, eaque corporalis et grauis, uti *narium*, uel *aurium abſciſſio*, uel *notarum Threiiciarum compunctio*, cuius poſterioris poenae originem deriuari legimus a Thracibus, qui utebantur notis, quas inurebant maleficorum uel uultui, uel manibus, uel tergo, uid. ALEXANDER AB ALEXAND. *Lib. 5. c. 18.*

*Oculorum effoſſio.*

*Amputatio manus.*

*Abſciſſio narium, aurium, etc.*

## §. IX.

*Quae poena ſimplicis furti?*

Ob ſimplicis furti delictum ſi poena infligatur, iterum diſtinguitur inter *primum* atque *reiteratum*. Primum licet reiteratis furtis leuius eſſe cenſeatur, non tamen remiſſionem poenae ſimpliciter meretur, ſed, ut poena furto digna conſtitui poſſit, conſideratur uel ut *paruum*, uel ut magnum, atque horum utrumque aeſtimatur ex quantitate, ita, ut *magnum* dicatur, iuxta CONSTIT. CAROL. *Art.* 157. quod quinque florenos continet, aut iſtos excedit, *paruum*, quod dictam quinque florenorum ſummam non attingit.

*Floreni ualor.*

Floreni uero pretium quodnam ſit, dudum ante dubitatum diſceptatumque fuit, TABOR *Racemat: Crim. Def. ad Art.* 157. §. 17. Equidem Ann. 1532. et 1533. circa quod tempus Ordinatio Criminalis condita atque promulgata eſt, florenus, ein Gülden, ualebat 60. Kreuzer. At enim uero in quaeſtione furti, tanquam cauſa poenali, uox Gülden intelligi coepit non in Saxonia tantum iuxta CONSTIT. ELECT. 32. *P.* 4. ſed et alibi, de aureo Hungarico, DN. DE BERGER *in Elect. Iurisprud. Crim. cap.* 2. *th.* 2. *p.* 37. Monet etiam B. BEYER *in Delin. Iur. Crim. ad Artic. CLVII. CLXII. th.* 21. florenum dictum eſſe ab aureo Florentinae Reipublicae, atque ante ducentos annos Ducatum ualore exaequaſſe. Vtrum uero fur pecuniam, an rem, aeſtimationi ſubiectam, ſubduxerit, nihil intereſt.

*Verum rei pretium attenditur, non affectionis.*

Id tantummodo notamus, quod in aeſtimatione furti, inprimis quod poenam attinet capitalem, attendatur rei furtiuae uerum, non affectionis, pretium, DN. KRESSIVS *ad* CONSTIT. CRIM. *Art.* 157. *n.* 4. Si uero res furtiua non amplius extet, aeſtimatio rei ablatae committi poterit religioni iuriſiurandi laeſi, quamuis et hic inquiſitus audiendus ſit, ſi uel laeſi fidem ſubleſtam, uel minorem rei ualorem, etiam praeſtito iamiam iuramen-

mento, demonſtrare poſſit, Confer. CARPZ. *in Pract. Crim. Qu.* 78. Neque etiam ratio habetur damni, quod furtum paſſo extrinſece illatum fuit, uidelicet, ſi ad inueſtigandum furem, aut alia ex cauſa, impenſas fecerit dominus, quod DN. DE BERGER *c. 1. p. 42.* praeiudicio Collegii FACVLTATIS Vitembergenſis Menſ Decembr. 1695. corroborat. Multo minus autem attenditur lucrum, quod inde fur percepit, ſed id, quod, ſi curatius ad rem ablatam attendiſſet, percipere potuiſſet. Quapropter poena conſtituta mitiganda non eſt, licet rem furtiuam aut perdiderit, aut alteri donauerit, aut illam ſibi iterum ſurripi paſſus ſit. Quodſi enim aut donauerit, aut minori pretio, quam quidem fas erat, uendiderit, uel etiam perdiderit, ſibi id fur imputabit. Namque ſi illud fecerit ex liberalitate, hoc facto ſibi acquiſiuit gratiam emtoris, quae etiam lucri ſpecies eſſe creditur, l. 54. §. *1. ff. de furt.* Sin uero ex negligentia perdiderit, eo magis dignus eſt, qui puniatur, Vid. CARPZ. *Qu. 78. n. 51. ſeqq.* et *Qu. 80. n. 28.* BOCER. *Tract. de furt. C. 1. n. 64. ſeqq.*

*Nec damnum, furtum paſſo extrinſece factum.*

*Sed lucrum quod fur percipere potuiſſet.*

§. X.

Ad poenam itaque furti primi, ſimplicis, et parui, ut recurramus, in eo puniendo iterum diſtingui ex Iure Carolino, monendum eſt, inter *manifeſtum*, nimirum, quando quis ſuper furto uel deprehenditur, uel adclamatur, uel ab aliis inſectando premitur, et non *manifeſtum*, uidelicet ſi, dum res ablatas refert, nec acclamatur, nec diffamatur, nec deprehenditur, antequam in aedes ſuas, uel alium in locum deſtinatum, una cum illis peruenerit. Hoc iuxta *Artic. 157.* praeter reſtitutionem rei, furto ſubtractae, praeſtatione dupli, quod furtum paſſo aſſignatur, et arbitraria adhuc poena, uidelicet aut carceris, aut relegatione, et reſtitutione expenſarum, etiam earum, quae uel

*Quae poena furti manifeſti et non manifeſti iure Carolino;*

*Differentia furti manifeſti et non manifeſti.*

uel ratione alimentorum, germanice Azung, uel cuſtodiae gratia factae ſunt, coercetur. Quodſi uero fur ſoluendo non ſit, magiſtratus, qua poenam, laeſo praefertur merito, cum in pari cauſa fiſci ratio potior habenda ſit, *L. 2. et. tt. C. de priuileg. fiſci, L. 23. C. de Epiſc. et. Cler.* ſecus autem ſe res habet, in aeſtimatione rei ſubtractae, *L. un. C. poenis fiſc. creditores praeferri, L. 10.* cum in poenis fiſcus omnibus creditoribus ſit poſtponendus *L. 17. ff. de iure Fiſc.* At enim uero furtum primum, *paruum*, idque *manifeſtum*, praeter rei furtiuae, aut eius, aeſtimationis, reſtitutionem in perſona uiliore poena Numellarum, des Prangers oder Hals-Eiſens, et fuſtigatione ac perpetua relegatione, ut malis hominibus prouincia liberetur, uindicatur; in honeſtiore autem, ſiue qua dignitatem ſiue qua natales, tali, ex conſenſu ſuperioris praeſtatione quadrupli, aut, ſi hoc praeſtari non poſſit, carcere coercetur, *iuxta Art. 158.* dummodo ſpes emendationis ſuperfuerit. Nam cum poenae in hominum emendationem conſtituantur, *l. 20. ff. de poen.* acerbior poena omnino mitiganda eſt, ſi ſpes talis iamiam appareat, TIRAQVELL. *de poen. temperand. Cauſ. 28. n. 4. et Cauſ. 29. n. 6.* Quodſi uero furtum primum ſimplex et magnum perpetratum fuerit, habita ratione et delinquentis, et obiecti, et loci, item an manifeſtum fuerit, uel non, ex arbitrio ICtorum poena corporis afflictiua, uel ultimo ſupplicio punitur, *Art. 160.* Quo maior enim pretii quantitas eſt, eo maior etiam poena infligitur iuxta uerba *alleg. art. 160.* So hat es mehrere Straffe, denn ein Diebſtahl der geringer iſt. Vſu quidem fori receptum eſſe monet DN. DE BERGER *in Elect. Iurisprud. Crim. c. 2. th. 4.* quod, ſi hae circumſtantiae *alternatiue* concurrant, corporaliter, am Leibe, ſin *cumulatiue*, capitaliter, am Leben, coerceri debeat,

*In furtum, primum, paruum, manifeſtum quae poena ſancita.*

*Quae ſit in furtum primum ſimplex ſtatuta.*

Conf.

Conf. Tabor. *Racemation. Crim. Defin. ad Art. 160. §. 13. ſeqq.*

§. XI.

Quoad furtum reiteratum iterum in Conſtitutione Criminali diſtinguitur, uterum *ſecunda uice*, uel *ſaepius*, commiſſum ſit. Quod attinet *ſecundum*, in Carolina denuo diſtinguitur, utrum ſit aut *paruum*, aut *magnum*. Intuitu illius publice in Numellis fur exhibetur, relegatione, aut confinatione, et praeſtatione urphedae punitur, *Art. 161.* Quae poena absque omni diſtinctione locum habet, ſiue *manifeſtum*, ſiue *non manifeſtum* ſit furtum, dummodo et re, et tempore, furta iterata differant. Nam cum iteratio delictum aggrauet, *l. 3. §. 2. ff. de abigeis*, quippe quae pronum ad uitia, paratiſſimumque ad quaeuis ſcelerum genera malefici animum teſtatur, tantum abeſt, ut remiſſionis uenia, ſeu poenae mitigatione digna ſit, ut potius exaſperationem mereatur. Pari enim ex ratione in aliis maleficiis, dictante iuſtitia, acerbius in eum animaduertitur, qui ſaepius, quam qui ſemel tantum, deliquit, *L. 8. §. 1. c. ad L. Iul. de ui publ. l. 28. §. 10. ff. de poen.* Quod ſi uero quis apud eundem hominem, una eademque die, aut nocte, in continenti res quasdam ê conclaui, quasdam ê cella, quasdam uero ê bibliotheca abſtulerit, omnia haec facinora pro uno tantum furto habenda ſunt, Matthaei *de crimin. Lib. XLVII. Tit. 1. c. 3. n. 11.* *Magnum* uero furtum, pro ratione circumſtantiarum, iuxta conſilium ICtorum, aut corporali, aut capitali, poena afficitur, *Art. 161.* Nec requiritur, ut ultimum furtum, in ſe conſideratum, quinque florenos in ſe contineat, aut etiam hanc ſummam excedat, ſed ſufficit, ſi utrumque, collectiue ſumtum, quantitatem hanc attingat, Dn. de Bercer *c. l. Th. 5. not. 1.*

*Quid in furto reiterato ſtatuendum?*

§. XII.

*Quid in furto tertio?* Tertium denique furtum, ſub quo et quartum, et quintum, et reliqua, ſi quae plura perpetrata ſint, comprehenduntur, propterea quod Legislator ulterius non progreditur, et numerus ternarius pluralitatem inuoluit, uti ex Philoſophorum ſcitis hoc deducit CORAS. *L. 7. Miſc. Iuris ciuilis et in Comment. ad L. 6. ff. de LL. n. ult.* ſine omni diſtinctione, ſiue magnum ſit, ſiue paruum, ſiue manifeſtum, ſiue non manifeſtum, ultimo ſupplicio, et quidem in maſculis poena ſuſpendii, in foeminis autem ſuffocatione in aquis punitur, *Art. 162.* Atque fur eiusmodi in dicta Conſtitutione uocatur **ein Verläumbder Dieb, der einem Vergewaltiger gleich zu achten.** Haec uero poena uel ideo magis absque ulla diſtinctione infligenda eſt, quia delictum ſemper aggrauare ſolet geminatio. Et quid? ſi eiusmodi circumſtantiae aggrauantes attendendae, aut impoſitio poenae capitalis arbitrio Iurisprudentum relinquenda eſſet, a primo, uel ſecundo, tertium furtum uix differret, cum tamen, monente BODINO *Lib. 6. de Republ. cap. ult. p. 1204.* omnium fere populorum legibus ac moribus tertium furtum capitale iudicetur. Quam ob rem ob animi peruicaciam, et quaſi habitum furandi acquiſitum circumſtantiarum ratio habenda non uidetur, uidelicet, utrum in uno, an in diuerſis territoriis tria haec furta commiſſa ſint, deinde an praeſcriptione extincta ſint priora, aut utrum ob antecedentia furta iamiam punitus fur fuerit, uel non? Vſu quidem fori, quod teſtatur DN. DE BERGER *c. l. th. 6. p. 40.* idque praeiudicio et Facultatis Vitembergenſis, et Tubingenſis, confirmat, deſideratur, ſi fur praefractus ac peruicax, **ein Verläumbder Dieb**, uocari debeat, ut de furtis antecedentibus admonitio iudicis, eaque poenalis, praeceſſerit. conf. DN. WERNHER *P. 5. Obſ. 197. §. 11.*

§. XIII.

§. XIII.

Ius Saxonicum, inprimis Electorale, a ſanctione Carolina multum, et adeo in pluribus, recedit. Nam iure Carolino reiteratio cumprimis attenditur, nec facile ob furtum primum ſimplex poena capitalis irrogari poteſt. Atenim uero Ius Saxonicum in poenis irrogandis quantitatem furti commiſſi maxime reſpicit, et quidem ita, ut, ſi furtum primum *magnum* ſit, nulla ratione reiterationis habita, ſiue ſit primum, ſiue ſecundum, ſiue tertium, laqueo, ſi uero *paruum* ſit, dimidiam tamen partem quinque ſolidorum excedat, fuſtigatione, alias uero relegatione tantum, aut carcere, aut mulcta coerceatur, per CONSTIT. ELECT. SAX. *32. P. 4.* Quodſi uero aut tertia uice, aut ſaepius, furtum, infra ſummam quinque ſolidorum commiſſum fuerit, poena fuſtigationis cum perpetua relegatione ſimpliciter praeſcribitur in DICT. CONST. 32. §. **da aber einer zum dritten mahl.** Praeterea etiam in eo a ſanctione Carolina Ius Saxonicum Electorale differt, quod iuxta eam, uti iam ſupra §. 7. monitum fuit, magnum furtum iſtud dicitur, quod aut quinque florenos continet, aut iſtos excedit; Iure uero Saxonico per uerba DICTAE CONSTIT. 32. §. **Wenn einer über fünff der beſten Ungariſchen Gülden werth ſtiehlet,** ſi furtum ſit magnum, requiritur, ut ualor quinque ſolidorum excedatur. Quam ob rem reliqua furta omnia, quae uel infra ſummam quinque ſolidorum ſunt, aut eam ſaltem exaequant, parua eſſe, qua ſenſum Iuris Saxonici, iudicantur. Equidem Sereniſſimus Legislator Saxonicus ipſe in ſaepius allegata *Conſtit. 32.* §. **Wenn denn einer zum dritten ꝛc.** hoc eo usque adſtringit, ut ratione furti, tertia uice, uel pluries, commiſſi, laqueo fur puniendus ſit, ſiue furta ſimul connumerata ſummam quinque ſolidorum excedant, ſiue hanc

*Differentia inter Ius Carolinum et Saxonicum.*

ſummam tantummodo contineant, propterea quod eiusmodi fur praefractus et peruicax eſſe uidetur, ein Verläumbder Dieb. Interim, monente Carpzovio *Quaeſt. 108. et 111.* ex eoque Dn. de Berger *in Elect. Iurisprud. Crim. cap. II. membr. I. th. 7. p. 41. in fin.* interpretatio uſualis, benignitate iuris ſubnixa, particulam disiunctiuam, quae in Conſtitutione allegata occurrit, in copulatiuam reſoluit, atque adeo mitigat, ut ſuſpendio locus non detur, niſi plus quinque aureis ſurreptum fuerit, licet furtum ſit tertia uice iteratum. Dein Iure Saxonico Electorali poenae intuitu nulla ſexus differentia, uti quidem iure Carolino, attenditur, qua in re etiam Carolina Conſtitutio minime obſtat, cum in imponenda poena furti cuiusuis prouinciae ius attendere iubeat, iuxta Ord. Crim. *Art. 162.* nach iedes Landes Gebrauch, ſed foeminae aeque ac maſculi laqueo ſuffocantur, omniumque cadauera inſepulta relinquuntur, *Conſt. 32. P. 4.* Dn. de Berger *in Oecon. Iur. L. III. Tit. 9. th. 7.*

## §. XIV.

Cum itaque rigidiſſimas grauiſſimasque poenas in hoc delicti genus conſtitutas eſſe, ex iis, quae dicta ſunt hactenus, intelligatur, dubitaret forte quispiam, utrum dentur, quibus crimen hocce perpetrare in mentem ueniat. Verum enim uero eo proceſſit hominum malitia, quod quotidiana docet experientia, ut non furta tantum maxima, ſed cum his et alia ſimul ſcelera grauiora a ſceleratiſſimis comittantur. Non enim clam atque occulte eius gregis homines aliis bona eripiunt, atque ſubtrahunt, ſed et palam, maxima ui adhibita, armis, et coadunatis hominibus, hoc factum turpe effici, quotidie edocemur. Quae cum ita ſint, mirum non eſt, quod Sereniſſimus Potentiſſimusque Rex atque Elector noſter Saxo-

nicus in eo totus eſt, ut has libidines refrenet, indomitamque audaciam, ſi modo fieri poſſit, frangat. Edidit eam ob cauſam uaria, quod meminimus, mandata, aduerſus eos, qui hoc uitii genere ſeſe commaculant, publicamque ſecuritatem turbant. Eminet autem inter ea inprimis illud, quod ſub dato 27. Iulii 1719. emiſſum eſt, cuius inſcriptio ita ſe habet: wegen geſchwinder Exequirung derer Räuber und derer Diebe.

§. XV.

*Quibus modis praeueniendum furtis.*

Facinoroſis autem hominibus, qui poenis, antea praeſcriptis, a furandi libidine, aliisque, huic facinori affinibus, delictis deterreri non poterant, iudicauit prudentiſſimus noſter Legislator omnem inprimis occaſionem delinquendi praeripere. Eum in finem uarias praecautiones hac in re adhibendas non ſolum in Mandato emiſſo ſub d. 27. Febr. 1706. ſed et in ſubſequentibus de dato den 28. Iulii 1708. den 16. Sept. 1710. den 21. Decembr. 1711. et 14. Dec. 1714. ſubditis praeſcripſit. Conſiſtunt autem in eo potiſſimum, ut ei, qui iurisdictionem, a Principe noſtro clementiſſimo conceſſam, exercent, aedificia ea, in quibus aduenae, et aliis non ſatis cognitae perſonae recipi ſolent, magna cum cura atque diligentia frequentius perſcrutentur atque perquirant, eosque, qui ſuſpecti uidentur, arreſto perſonali afficiant, ut in eos deinde inquiratur. Faciunt huc ea, quae in Mandato Regio ſub dato den 21. Dec. 1711. continentur. Wir gebiethen und verordnen auch hiermit, daß über die vorhin vorgeſchriebenen Durchſuchungen derer Wirths-Häuſer, Schencken, und anderer dergleichen Orthe, wo Gäſte aufgenommen, und Fremde pflegen beherberget zu werden, ſo wohl in denen Städten, als inſonderheit denen Dörffern, wo Gerichte ſeyn, von dieſen, wo aber dergleichen nicht verhanden, durch die Gemeinde der

*Perquirantur cauponae.*

Reihe nach durch 2. oder 3. Perſonen, wenigſtens die Woche zweymahl und zwar nicht zu gewiſſen Tagen und Stunden, ſondern unvermerckt, und ohne vorher ſolches wiſſen zu laſſen, die Schencken, Wirths- und andere, inſonderheit auch die abgelegenen Häuſer, wo Leute wohnen, ſelbige aber etwa ie zuweilen, wenn die Wirthe mit denen Ihrigen nicht zu Hauſe ſeyn, zugeſchloſſen ſind, fleißig und ſcharff uiſitiret, und wenn iemand, der keinen richtigen Paß vorzuzeigen hat, und ſeines Thuns und Laſſens, auch ehrlichen Handthierung halber beſtändige Urſachen nicht anzugeben wüſte, oder wieder den ſonſt einiger erheblicher Verdacht zu nehmen, angetroffen würde, ſelbiger alſofort feſte gemacht, und in Verhafft genommen werden ſolle. Quod mandatum uti maxima cura ſeruari iubet Legislator, ita eos, qui illud negligunt grauiſſima poena plectendos eſſe dicit eodem in mandato, uerba ſe ita habent: Die Gerichts- und andere Perſonen, ſo zu der Viſitation gebrauchet werden, im Fall ſie ſolche nicht mit behörigen Fleiſſe verrichten, und etwan einen oder andern darbey verhölen, und nicht angeben oder auffuchen würden, mit eben dieſer Straffe (derer 20. Thaler - - und 3. jährigen Veſtungs-Bau-Arbeit) angeſehen, nicht minder die Beamten und Gerichts-Obrigkeiten, ſo ſich in Veranſtaltung deſſen, oder ſonſt auf einerley Art ſäumig und nachläßig erwieſen, oder ihre Schuldigkeit disfals nicht gebührend beobachten würden, nach Gelegenheit derer Umſtände, wenn ſolches in Erfahrung gebracht, oder angegeben werden möchte, um 5. biß 400. Thaler, wovon der Denunciante die Helffte bekommet, beſtraffet werden ſollen. Iniungitur etiam Dominis iurisdictionalibus, ut iſtos, qui cauponis, ſub ſua iurisdictione ſitis, praeſunt, aliisque hoſpitium concedunt, iuramento obſtringant, ut quolibet die, circa tempus ueſpertinum ſibi, uel aliis, qui Domini loco adſunt, aut Scul-

*Obſtringantur caupones iureiurando, ut ſignificent eos, qui per noctaturi ſunt.*

